



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De his qui precio sacram mercati sunt dignitatem. xxii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

dationem per se, aut per emissam personam, cum spiritus sanctus inter cetera documenta per os dicat Gregorii: Cur non perperdit, quia benedictio illi in maledictionem conuertitur? Et alibi: Dolens, inquit, dico, gemens denuncio, quia sacerdotium quod apud vos intus cecidit, foris diu stare non poterit.

De his qui precio sacram mercati sunt dignitate. Ca. XXII.

*Ex episto
la Gelasii
pape, ca.
5.*

QVOS constiterit indignos meritis, sacram mercatos esse precio dignitatem, conuictos oportet arceri, quia dantem pariter, accipientemque damnatio Symonis, quam sacra lectio testatur, inuoluit.

De eadem re.

Cap. XXIII.

*Ex epist.
Oricuf-
de pape,
cap. 10.*

HOC itaque ad priora coniungimus, ne benedictio per impositionem manus, quae a Deo esse creditur, precio comparetur, quia Symon spiritum sanctum volens precio mercari, apostoli fuit detestatione percussus.

*Quod non oporteat ordinationes Episcoporum
diu differri. Cap. XXIIII.*

*Cap. 25.
Chalced.*

QVONIAM quidam metropolitanorum, quantum comperimus, negligunt commissos sibi greges, & ordinationes Episcoporum facere differunt, placuit sanctae synodo intra tres menses ordinationes Episcoporum celebrari, nisi forte necessitas inexcusabilis praepararet tempus dilationis extendi: quod si hoc minime fecerit, correptioni ecclesiasticae subiacebit. Veruntamen redditus Ecclesiae viduatae penes aconomum eiusdem Ecclesiae integri referuentur.

De ordinationibus Episcoporum diu minime differendis. Ca. XXV.

*Ex decr.
Damasi
pape, ca.
2.*

QVONIAM quidam metropolitanorum fidem suam secundum priscam consuetudinem sanctae sedi apostolicae exponere detrectantes, usum pallii, neque expetunt, neque percipiunt, ac per hoc Episcoporum consecratio viduatis Ecclesiis non sine periculo protelatur, placuit ut quisquis metropolitanus, ultra tres menses consecrationis suae ad fidem suam exponendam, palliumque suscipiendum, ad apostolicam sedem non miserit, com-